

XXXI. Quem autem non moveat, quod post peccatum et sententiam iudicis Dei vocat Adam mulierem suam, Vitam, quia vivorum ipsa sit mater, posteaquam meruit mortem, et mortales foetus parere destinata est, nisi quia illos foetus attendit Scriptura, quos cum in doloribus pepererit, fiet illi conversio ad virum suum, et ejus ipse dominabitur? De quibus foetibus superius dictum est. Sic enim est illa vita materque vivorum. Nam vita quæ in peccatis est, mors appellari in Scripturis solet, sicut Apostolus dicit, mortuam esse viduam quæ in deliciis vivit¹; et mortui nomine peccatum ipsum significari legimus, ubi dictum est: « Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit » illum, quid proficit in lavacro suo? Sic et qui jejunit » super peccata sua, et iterum ambulans hæc eadem facit². » Pro peccato enim mortuum posuit, abstinentiam vero jejuniumque a peccato, tanquam baptismum, hoc est mundationem a mortuo: iterum autem redire ad peccatum, tanquam iterum tangere mortuum. Quare ergo non animalis illa pars nostra, quæ tanquam viro debet obtemperare rationi, cum per ipsam rationem de verbo vitæ recte vivendi sarcinam conceperit, appelletur vita, et cum parturitione abstinentiæ, quamvis cum doloribus atque gemitibus, malæ consuetudini resistens bonam consuetudinem ad recte facta pepererit, mater vivorum vocetur, id est, recte factorum: quibus contraria sunt peccata, quæ nomine mortuorum significari posse docuimus?

XXXII. Nam illa mors, quam omnes qui ex Adam nati sumus, coepimus debere naturæ, quam minatus est Deus, cum præceptum daret ne arboris fructus ille ederetur; illa ergo mors in tunicis pelliceis figurata est. Ipsi enim sibi fecerunt præinctoria de foliis fici, et Deus illis fecit tunicas pelliceas, id est, ipsi appetiverunt mentiendi li-

¹ 1 Tim. v, 6. — ² Eccli. xxxiv, 30.

bidinem relicta facie veritatis, et Deus corpora eorum in istam mortalitatem carnis mutavit, ubi latent corda mendacia. Neque enim in illis corporibus coelestibus sic latere posse cogitationes credendum est, quemadmodum in his corporibus latent: sed sicut nonnulli motus animorum apparent in vultu, et maxime in oculis, sic in illa perspicuitate ac simplicitate coelestium corporum omnes omnino motus animi latere non arbitror. Itaque illi merebuntur habitationem illam et commutationem in angelicam formam, qui etiam in hac vita cum possint sub tunicis pelliceis occultare mendacia, oderunt tamen ea et cavent flagrantissimo amore veritatis, et hoc solum tegunt, quod ii qui audiunt ferre non possunt; sed nulla mentiuntur. Veniet enim tempus ut nihil etiam contegatur. Nihil est enim occultum quod non manifestabitur¹. Tandiu autem in paradiso fuerunt isti, quamvis jam sub sententia damnantis Dei, donec ventum esset ad pelliceas tunicas, id est, ad hujus vitæ mortalitatem. Quo enim majore indicio potuit significari mors quam sentimus in corpore, quam pellibus quæ mortuis pecoribus detrahi solent? Itaque cum contra præceptum non imitatione legitima, sed illicita superbia Deus esse appetit homo, usque ad belluarum mortalitatem dejectus est.

XXXIII. Ideo sic illi lex divina insultat ore Dei; qua insultatione nos admonemur quantum possumus cavere superbiam: « Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis » bis ad scientiam cognoscendi bonum et malum². » Quæ ambigua locutio figuram facit; nam « Factus est tanquam » unus ex nobis, » dupliciter intelligi potest: vel unus ex nobis quasi et ipse Deus, quod pertinet ad insultationem; sicut dicitur: Unus ex senatoribus, utique senator: aut certe, quia et ipse Deus esset, quamvis Creatoris sui be-

¹ Matth. x, 26. — ² Gen. iii, 22.

neficio, non natura, si sub ejus potestate manere voluisset, sic dictum est: « Ex nobis, » quomodo dicitur, ex consulibus, aut proconsulibus qui jam non est. Sed ad quam rem factus est tanquam unus ex nobis? Ad scientiam scilicet dignoscendi boni et mali, ut iste per experimentum disceret dum sentit malum, quod Deus per sapientiam novit; et potestatem illam omnipotentis quam pati noluit beatus atque consentiens, poena sua discat esse inevitabilem.

XXXIV. « Et tunc ne porrigeret Adam manum suam » ad arborem vitæ, et viveret in æternum, dimisit illum » Deus de paradiso. » Bene dictum est, « dimisit, » non, exclusit; ut ipso peccatorum suorum pondere tanquam in locum sibi congruum videretur urgeri. Quod patitur plerumque malus homo cum inter bonos vivere cœperit, si se in melius commutare noluerit, ex illa bonorum congregatione, pondere malæ suæ consuetudinis pellitur, et illi eum non excludunt reluctantem, sed dimittunt cupientem. Quod autem dictum est: « Ne porrigeret Adam » manum suam ad arborem vitæ, » etiam hæc ambigua locutio est. Loquimur enim sic, cum dicimus: Ideo te moneo, ne iterum facias quod fecisti, volentes utique ut non faciat: Et iterum sic, Ideo te moneo, ne forte sis bonus, volentes utique ut sit, id est, moneo te non desperans quod bonus possis esse. Sicut loquitur Apostolus cum dicit: « Ne forte det illis Deus poenitentiam ad cognoscendam veritatem¹. » Potest ergo videri propterea homo in labores hujus vitæ esse dimissus, ut aliquando manum porrigat ad arborem vitæ, et vivat in æternum. Manus autem porrectio bene significat crucem, per quam vita æterna recuperatur. Quamvis etiam si illo modo intelligamus ne manum porrigat, et vivat in æternum,

¹ 2 Tim. II, 25.

non injusta poena est post peccatum interclusum esse aditum ad sapientiam, donec Dei misericordia mensuris temporum reviviscat qui mortuus est, et inveniatur qui perierat. Dimissus est ergo de paradiso suavitatis, ut operaretur terram de qua sumptus erat, id est, ut in corpore isto laboraret, et ibi si posset collocaret sibi meritum redeundi. Moratus est autem contra paradisum in miseria: quæ utique beatæ vitæ contraria est. Nam beatam vitam paradisi nomine significatam existimo.

XXXV. « Posuit autem Deus Cherubim et flammeam fra- » meam quæ versatur, » quæ uno nomine versatilis dici potest, « ad custodiendam viam arboris vitæ¹. » Sicut illi volunt qui hebræa verba in Scripturis interpretati sunt, Cherubim latine scientiæ plenitudo esse dicitur. Flammea vero framea versatilis, temporales poenæ intelliguntur, quoniam tempora volubilitate versantur. Propterea et flammea dicitur, quia urit quodam modo omnis tribulatio. Sed aliud est uri ad consumptionem, et aliud est uri ad purgationem. Nam et Apostolus dicit: « Quis scandalizatur, et ego non uror?? » Sed iste affectus purgabat eum magis, quia de charitate veniebat. Et illæ tribulationes quas justii patiuntur, ad istam pertinent flammeam frameam: « Quoniam in igne probatur aurum et argentum, et homines acceptibiles in camino humiliationis³. » Et iterum: « Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis⁴. Quoniam ergo quem diligit » Deus, corripit, et flagellat omnem filium quem recipit⁵; » sicut dicit Apostolus: « Scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probatio- » nem⁶. » Et legimus, et audimus, et credendum est arborem vitæ, plenitudinem scientiæ et flammeam fra-

¹ Gen. III, 24. — ² 2 Cor. XI, 19. — ³ Eccli. II, 5. — ⁴ Id. XXVII, 6. — ⁵ Heb. XII, 6. — ⁶ Rom. V, 3.

meam custodire. Nemo ergo potest pervenire ad arborem vitæ, nisi per has duas, id est, per tolerantiam molestiarum, et scientiæ plenitudinem.

XXXVI. Sed tolerantiam molestiarum omnibus fere in hac vita subeunda est, tendentibus ad arborem vitæ: plenitudo autem scientiæ videtur paucioribus provenire; ut quasi non omnes qui perveniunt ad arborem vitæ, per scientiæ plenitudinem veniant, quamvis omnes tolerantiam molestiarum, id est, flammeam frameam versatilem sentiant. Sed si attendatur quod Apostolus dicit: « Ple- » nitudo autem legis, charitas¹; » et videamus eandem » charitatem præcepto illo gemino contineri: « Diliges » Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota » anima tua, et ex tota mente tua; et diliges proximum » tanquam te ipsum, in quibus duobus præceptis tota Lex » pendet, et Prophetæ²: » sine dubitatione intelligimus ad arborem vitæ non solum per flammam frameam versatilem, id est, per tolerantiam temporalium molestiarum, sed etiam per plenitudinem scientiæ, id est, per charitatem veniri: « Quia si charitatem, inquit, non ha- » beam, nihil sum³. »

XXXVII. Sed in hoc sermone pollicitus sum considerationem rerum factarum, quam puto explicatam: et deinde considerationem prophetiæ, quæ remanet explicanda jam breviter. Posito enim tanquam signo quodam manifesto, quo cætera dirigantur, non diu nos, quantum arbitror, ita consideratio detinebit. Dicit enim Apostolus sacramentum magnum esse, quod dictum est: « Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et ad- » hærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una⁴: » quod ipse interpretatur subjiciendo: « Ego autem dico in Christo

¹ Rom. xiii, 10. — ² Matth. xxii, 30. — ³ 1 Cor. xiii, 2. — ⁴ Ephes. v, 32.

» et in Ecclesia. « Ergo quod per historiam impletum est in Adam, per prophetiam significat Christum, qui reliquit Patrem, cum dicit: « Ego a Patre exivi, et veni in hunc » mundum¹. » Non loco reliquit, quia Deus loco non continetur, neque aversione peccati, sicut apostatæ relinquunt Deum; sed apparendo hominibus in homine, cum Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Quod ipsum non commutationem naturæ Dei significat, sed susceptionem (naturæ) (9) inferioris personæ, id est humanæ. Ad hoc valet etiam quod dicitur: « Semetipsum » exinanivit², » quia non in ea dignitate apparuit hominibus in qua est apud Patrem, blandiens eorum infirmitati, qui cor mundum nondum habebant, unde videretur Verbum in principio Deus apud Deum. Quid est ergo quod diximus: Reliquit Patrem, nisi reliquit apparere hominibus, sicut est apud Patrem? Item reliquit et matrem, id est, Synagogæ veterem atque carnalem observationem, quæ illi mater erat ex semine David secundum carnem, et adhæsit uxori suæ, id est, Ecclesiæ, ut sint duo in carne una³. Dicit enim Apostolus ipsum esse caput Ecclesiæ, et Ecclesiam corpus ejus⁴. Ergo et ipse soporatus est dormitione passionis, ut ei conjux Ecclesia formaretur, quam dormitionem cantat per Prophetam dicens: « Ego dormivi, et somnum cepi, et exurrexi, » quoniam Dominus suscepit me⁵. » Formata est ergo ei conjux Ecclesia de latere ejus, id est, de fide passionis et baptismi. Nam percussum latus ejus lancea, sanguinem et aquam profudit⁶. Factus autem, ut supra dixi, ex semine David secundum carnem, sicut Apostolus dicit, id est, tanquam de limo terræ, cum homo non esset qui operaretur in terra, quia nullus homo operatus est in vir-

¹ Joan. xvi, 28. — ² Philip. ii, 7. — ³ Rom. i, 3. — ⁴ Coloss. i, 18. — ⁵ Psal iii, 6. — ⁶ Joan. xix, 34.

gine, de qua natus est Christus ¹. Fons autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ ². Facies terræ, id est, dignitas terræ, mater Domini virgo Maria rectissime accipitur, quam irrigavit Spiritus sanctus³, qui fontis et aquæ nomine in Evangelio significatur, ut quasi de limo tali homo ille fieret, qui constitutus est in paradiso, ut operaretur et custodiret, id est, in voluntate Patris, ut eam impletet atque servaret.

XXXVIII. Nam præceptum quod accepit, nos accepimus in illo, quia unusquisque Christianus non incongrue sustinet personam Christi, dicente ipso Domino: « Quod » fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis ⁴. » Atque utinam frueremur, sicut est præceptum, omni ligno paradisi, quod significat spirituales delicias: « Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia ⁵, » sicut Apostolus dicit: et non tangeremus lignum in medio paradisi plantatum scientiæ boni et mali, id est, non vellemus superbire de natura nostra, quæ sicut jam diximus, media est, ut decepti experiremur, quid intersit inter simplicem fidem catholicam, et fallacias hæreticorum: ita enim pervenimus ad dignoscentiam boni et mali. « Nam oportet, inquit, etiam hæreses esse, » ut probati manifesti fiant inter vos ⁶. » Etenim serpens ille secundum prophetiam, hæreticorum venena significat, et maxime istorum Manichæorum, et quicumque Veteri Testamento adversantur. Non enim aliquid manifestius prænuntiatum arbitror, quam istos in illo serpente, vel potius illum in istis esse vitandum. Nulli enim loquacius atque jactantius promittunt scientiam boni et mali, et in ipso homine, tanquam in arbore quæ plantata est

¹ Rom. 1, 3. — ² Gen. 11, 6. — ³ Joan. VII, 39. — ⁴ Matth. XXV, 40. — ⁵ Gal. V, 22. — ⁶ 1 Cor. XI, 19.

in medio paradisi, eam dignoscentiam demonstraturos se esse præsumunt. Et etiam illud quod dictum est: « Eritis sicut dii ¹, » qui alii magis dicunt quam isti, qui per suam superbam vanitatem, eandem superbiam persuadere conantes, affirmant animam naturaliter hoc esse quod Deus est? Et ad quos magis pertinet apertio carnalium oculorum, quam ad istos qui relicta interiore sapientiæ luce solem istum, qui pertinet ad oculos corporis adorare compellunt? Et omnes quidem hæretici generaliter scientiæ pollicitatione decipiunt, et reprehendunt eos quos simpliciter credentes invenerint, et quia omnino carnalia persuadent, quasi ad carnalium oculorum apertionem conantur adducere, ut interior oculus excæcetur. Sed istis etiam corpora sua displicent, non propter pœnalem mortalitatem, quam peccando meruimus, sed ita negent Deum esse corporum conditorem, tanquam apertis oculis carnis nuditas ista displiceat.

XXXIX. Sed nihil vehementius istos designat et notat, quam quod dicit serpens: « Non morte moriemini: sci- » bat enim Deus quoniam qua die ederitis, aperientur » oculi vestri ². » Sic enim isti credunt, quod serpens ille Christus fuerit, et Deum nescio quem gentis tenebrarum, sicuti affirmant, illud præceptum dedisse confingunt, tanquam invideret hominibus scientiam boni et mali. Ex ista opinione etiam nescio quos serpentinos natos esse arbitror, qui serpentem pro Christo colere dicuntur, nec attendunt Apostolum qui ait: « Metuo ne sicut serpens » Evam seduxit astutia sua, sic et sensus vestri corrum- » pantur ³. » Hos ergo per istam prophetiam præfiguratos esse existimo. Seducitur autem verbis hujus serpentis, carnalis nostra concupiscentia, et per illam decipitur Adam, non Christus, sed Christianus: qui si præceptum

¹ Gen. 11, 4, 5. — Ibid. — ² 2 Cor. XI, 3.

Dei servare vellet, et ex fide perseveranter viveret, donec idoneus fieret intelligentiæ veritatis, id est, si operaretur in paradiso, et custodiret quod accepit; non veniret in illam deformitatem, ut cum sibi displicet caro quasi nuditas sua, carnalia magis tegumenta mendaciorum, tanquam folia fici colligeret, quibus sibi faceret succinctorium. Hoc enim isti faciunt, cum de Christo mentiuntur, et ipsum mentitum esse prædicant, et tanquam abscondunt se a facie Dei ad sua mendacia ab illius veritate conversi, sicut Apostolus dicit: « Et a veritate » quidem auditum suum avertent, ab fabulas autem con- » vertentur¹. »

XL. Et ille quidem serpens, id est, ille error hæreticorum, qui tentat Ecclesiam, contra quem incantat Apostolus, cum dicit: « Metuo ne sicut serpens Evam seduxit » astutia sua, sic et sensus vestri corrumpantur⁴; ille ergo error pectore et ventre serpit, et terram manducat. Non enim decipit, nisi aut superbos, qui sibi arrogantes quod non sunt, cito credunt quod summi Dei et animæ humanæ una eademque natura sit; aut desiderii carnalibus implicatos, qui libenter audiunt quod quidquid lascive faciunt, non ipsi faciunt, sed gens tenebrarum; aut curiosos, qui terrena sapiunt, et spiritalia terreno oculo inquirunt. Erunt autem inimicitiae inter istum et mulierem, et inter semen ejus, et semen mulieris³, si pariat ista filios quamvis cum doloribus, et se ad virum suum convertat, ut ejus ipse dominetur. Tunc enim potest cognosci non aliam partem in nobis pertinere ad auctorem Deum, et aliam ad gentem tenebrarum, sicut isti dicunt; sed potius et illud quod regendi habet potestatem in homine, et illud inferius quod regendum est, ex Deo esse, sicut dicit Apostolus: « Vir quidem non debet valere ca-

¹ 2 Tim. iv, 4. — ² 2 Cor. xi, 3. — ³ Gen. iii, 15.

» put, cum sit imago et gloria Dei; mulier autem gloria » viri est: Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro: » etenim non creatus est vir propter mulierem, sed mulier » propter virum: propterea debet habere velamen mulier » super caput, propter Angelos. Verumtamen neque mu- » lier sine viro, neque vir sine muliere in Domino: sicut » enim mulier ex viro, ita et vir per mulierem: omnia » autem ex Deo¹. »

XLI. Laboret jam Adam in agro suo, et quod spinas et tribulos ei parit terra, et intelligat non naturæ esse, sed poenæ; et hoc non nescio cui genti tenebrarum, sed divino judicio tribuat: quia moderamen justitiæ est sua cuique tribuere. Ipse det mulieri escam cœlestem, quam accepit a capite suo, qui est Christus: non ab illa accipiat vetitum cibum, id est, hæreticorum fallaciam cum magna pollicitatione scientiæ, et quasi secretorum adaptionem, quo fiat ad decipiendum error ipse conditor. Hæreticorum quippe superba et curiosa cupiditas in libro Proverbiorum clamat sub mulieris imagine, et dicit: « Qui stultus est, divertat ad me: » et inopes sensu exhortatur, dicens: « Panes occultos edite libenter, et aquam dulcem furtivam bibite². » Et necesse est tamen, cum et illa quisque crediderit, præcedente libidine mentiendi, qua Christum mentitum esse credit, accipiat etiam tunicam pelliceam divino judicio. Quo nomine mihi videtur in prophetia significari non corporis mortalitas, quæ significatur in historia, de qua jam tractatum est; sed de carnalibus sensibus attracta phantasmata, quæ carnaliter mentientem divina lege consequuntur et contegunt: atque ita de paradiso, id est, de catholica fide et veritate dimittitur, habitaturus contra paradisum, id est, eidem fidei contradicturus. Qui si aliquando se ad Deum conver-

¹ 1 Cor. xi, 7-12. — ² Prov. ix, 16.

terit per flammeam frameam, id est, per temporales tribulationes, sua peccata cognoscendo et gemendo, et non jam extraneam naturam, quæ nulla est, sed se ipsum accusando, ut ipse veniam mereatur; et per plenitudinem scientiæ, quæ est charitas, diligendo Deum, qui supra omnia est incommutabilis, et diligendo ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente: et diligendo proximum tantam se ipsum, perveniet ad arborem vitæ, et vivet in æternum.

XLII. Quid habent ergo isti, quod in his litteris Veteris Testamenti reprehendant? Interrogent secundum morem suum, et respondeamus sicut Dominus donare dignatur. Quare fecit Deus hominem, inquiunt, quem peccaturum sciebat? Quia et de peccante multa bona facere poterat, ordinans eum secundum moderamen justitiæ suæ, et quia nihil oberat Deo peccatum ejus: et sive non peccaret, mors nulla esset: sive quia peccavit, alii mortales de peccato ejus corriguntur. Nihil enim sic revocat homines a peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio. Sic eum faceret, inquiunt, ut non peccaret. Imo ipse hoc faceret; sic enim factus est, ut si nolisset, non peccaret. Non admitteretur, inquiunt, diabolus ad ejus mulierem. Imo ipsa ad se diabolus, non admitteret; sic enim facta est, ut si nolisset, non admitteret. Non fieret, inquiunt, mulier. Hoc est dicere, non fieret bonum: quia et ipsa utique aliquod bonum est, et tantum bonum, ut Apostolus eam gloriam viri esse dicat; et omnia ex Deo¹. Iterum dicunt: Quis fecit diabolus? Se ipse; non enim natura, sed peccando diabolus factus est. Vel ipsum, aiunt, non faceret Deus, si eum peccaturum esse sciebat, Imo, quare non faceret, cum per suam justitiam et providentiam multos de mali-

¹ 1 Cor. II, 3.

tia diaboli corrigat? An forte non audistis Apostolum Paulum dicentem: « Quod tradidi Satanæ, ut discant non » blasphemare¹? » Et de se ipso dicit: « Et ne magnitudine revelationum extollar, datus est mihi stimulus » carnis, angelus Satanæ qui me colaphizet². » Ergo, inquiunt, bonus est diabolus, qui utilis est? Imo malus in quantum diabolus est, sed bonus et omnipotens Deus est, qui etiam de malitia ejus multa justa et bona operatur. Non enim diabolo imputatur, nisi voluntas sua, qua conatur facere male, non Dei providentia, quæ de illo bene facit.

XLIII. Postremo quoniam cum Manichæis nobis de religione quæstio est, quæstio autem religionis est, quid de Deo pie sentiatur, quoniam negare non possunt in miseria peccatorum esse genus humanum: Illi dicunt naturam Dei esse in miseria: Nos negamus, sed dicimus eam naturam esse in miseria, quam de nihilo fecit Deus, et ad hoc venisse non coactam, sed voluntate peccandi. Illi dicunt naturam Dei cogi ab ipso Deo ad poenitentiam peccatorum: Nos negamus, sed dicimus eam naturam quam Deus fecit de nihilo, posteaquam peccavit, cogi ad poenitentiam peccatorum. Illi dicunt naturam Dei ab ipso Deo accipere veniam: Nos negamus, sed dicimus eam naturam quam fecit Deus de nihilo, si se a peccatis suis ad Deum suum converterit, accipere veniam peccatorum. Illi dicunt naturam Dei necessitate esse mutabilem: Nos negamus, sed dicimus eam naturam quam Deus fecit de nihilo, voluntate esse mutatam: Illi dicunt naturæ Dei nocere aliena peccata: Nos negamus, sed dicimus nulli naturæ nocere peccata, nisi sua; et Deum dicimus tantæ bonitatis esse³, tantæ justitiæ, tantæ incorruptionis, ut neque peccet, neque ipse alicui noceat qui peccare nolue-

¹ 2 Tim. I, 1. — ² 1 Cor. XII, 7. — ³ 1 Retract. cap. x, n. 3.

rit, nec ipsi aliquis qui peccare voluerit. Illi dicunt esse naturam mali cui Deus coactus est naturæ suæ partem dare cruciandam: Nos dicimus nullum malum esse naturale, sed omnes naturas bonas esse², et ipsum Deum summam esse naturam, cæteras ex ipso esse naturas: et omnes bonas in quantum sunt: quoniam fecit Deus omnia bona valde, sed distinctionis gradibus ordinata, ut sit aliud alio melius; atque ita omni genere bonorum universitas ista compleatur, quæ quibusdam perfectis, quibusdam imperfectis, tota perfecta est, quam Deus effector conditorque ejus justo moderamine administrare non cessat; qui omnia bona facit voluntate, nihil mali patitur necessitate. Cujus enim voluntas superat omnia, nulla ex parte quidquam sentit invitus. Cum ergo illa illi, et nos ista dicimus, unusquisque eligat quid sequatur. Ego enim, quod bona fide coram Deo dixerim, sine ullo studio contentionis, sine aliqua dubitatione veritatis, et sine aliquo præjudicio diligentioris tractationis, quæ mihi videbantur exposui.

¹ 1 Retract. cap. x, n. 3.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE MORIBUS

ECCLESIAE CATHOLICÆ

ET DE

MORIBUS MANICHÆORUM

LIBRI II¹.

LIBER I.

DE MORIBUS ECCLESIAE CATHOLICÆ.

PRINCIPIO CONSTITUIT AUGUSTINUS MORES ILLOS, QUIBUS IN ECCLESIA SANCTE VIVITUR, AD SUMMUM HOMINIS BONUM, HOC EST, DEUM REFERRI OPORTERE. TUM SUMMO IN EUM AMORE CONTENDENDUM, IDQUE DOGMA ESSE IN CATHOLICA ECCLESIA, UTRISQUE TESTAMENTI AUCTORITATE CONFIRMATUM. QUATUOR VIRTUTES EX VARIO QUODAM AMORIS DEI AFFECTU DICTAS OSTENDIT. AGIT DE OFFICIIS CHARITATIS ERGA PROXIMUM, AC REFERT DEMUM EXEMPLA CONTINENTIÆ ET MORUM VERE CHRISTIANORUM, QUÆ IN ECCLESIA CATHOLICÆ ALUMNIS ELUXERUNT.

I. IN aliis libris² satis opinor egisse nos quemadmodum Manichæorum invectionibus, quibus in Legem, quod Vetus Testamentum vocatur, imperite atque impie ferun-

¹ Scripti versus initium anni Christi 388, vulgati forte annum 389. Vide Retract. lib. 1, cap. 7. — ² Vide D. Guillon, tom. XXI, pag. 148.